



Leo apud Heluetios natus & educatus, à tenebris annis operam literis dedit, & rudimentis cognitis ad Basiliensem Academiam peruenit. In ea Thoma Vuitenbachio præceptore usus, liberalibus artibus incubuit, & anno 1512 artium Magister creatus fuit. Postea quoq; cum Huldrico Zuuinglio Theologiæ operam dedit, atq; in ea facultate plurimùm profecit. ad hanc eruditioñem accedebat uitæ integritas. Itaque Tigurum uocatus, eius Ecclesiæ minister constituit. In eo loco Leo Euan gelij doctrinam magna diligentia prædicauit, atq; cunctis doctis innotuit. Cum autem is Hebraicæ linguae esset peritissimus, ueteris Testamēti libros simplici & pura dictione e sacra Hebræorum lingua, consultis simul orthodoxis interpretibus, in Latinam trāstulit. quin etiam tota Biblia Germanicè reddidit, ad Hebraicam ueritatem cum Iudæo quodam singulis diligenter collatis, & Tiguri 1540 editis. Ex ore etiā Zuuinglij annotationes in Genesin & Exodum, item in 4 Euangelistas, passionis Dominicæ historiam, ac in Epistolas Pauli ad Romanos, Corinthios, Philippenses, Colossenses, Thessalonicenses, & S. Iacobi, excepit, & post eius mortem publicauit. Præterea opus cōclu sionum Zuuinglij è Germanico Latinum reddidit, atq; Cathechismum maiorem & minorem conscripsit. Cum hoc modo scribendo et docendo Tiguri in pretio haberetur, tandem senex circa annum 1544 obiit, & honorifice ibidē sepultus fuit. Con. Geß.